ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime vir,

Dum felicia invicti Arausionensium Principis
castra sequeris, mihi contra verborum barbariem con-
fligendum fuit. Eius operae exemplar mitto. Et
jam ante duos menses, vel ultrà, misissem, nisi ob-
stitisset, quod scirem in castris non esse verborum ne-
gotium, sed consilio et manu rem geri. Ubi vero
intellexi de Celsissimi Principis reditu, ac pariter
tuo, non ultra hoc officium meum differendum
existimavi. Ubi inspexeris, metuo ne displiceat,
quod iterum magis curârim dictionis vestem, quàm
rerum carnem ac nervos: contrà quam ab Alexandrino
Clemente, atque alijs, praecipi vides. Sed enim putavi,
si in literaturae agello huiusmodi semina spargerem,
facilius postea in animis juventutis succrescere posse
germen Eruditionis ac Virtutis. Nuper pro poematis
tuis, ingenio cum quovis certantibus, gratias egi liberorum
tuorum Ephoro Brunoni, idque coram, verbis duntaxat.
Id nunc iterum per literas facio. Ac cum Ἀντίδωρον
nostrum vides, scias me non tam stupidum esse, ut
nesciam, quantum Grammatice cedit divinae Poesi: tan-
tum nostrum laborem tuo assurgere oportere. Sed
eo me solor, quod cum literaria Resp. comparata sit
uti cum bene constituta civitate: ubi non omnes clas-
sici esse possunt, sed ipsis etiam proletarijs ac capite
censis est locus. Et fortasse alia brevi sequen-
tur, quae magis se humo tollant: et quidem non
aliena à studiorum tuorum parte non infima. Siquidem
jam excudi coepit liber de Natura ac Constitutione
Poetices. Eum excipient tres libri de arte
Poetica. Nempe aliud est de arte agere: ali-
ud artem tradere. Ut puto, ultimus in hoc ge-
nere labor erit de temporibus, scriptisque Poetar-
um, tum Graecorum, tum Latinorum. Vides me
non prorsus cessare. Is qui hasce literas
tradet, mihi est à manibus, juvenis magnae ex-
spectationis. Panegyricum scripsit, eumque
Celsissimo Principi dicavit, spero non
displiciturum. Sicubi opera vel consilio tuo
egeat, quaeso juves. Id mihi gratum
erit. Amstelrodami. III Kal. Decembr.

Tuae nobilitati
addictissimus
Ger. Jo. Vossius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

Nobilissimo viro,
Constantino Hugenio,
Equiti, Celsissimo
Arausionẽsium
Principi à Cõsilijs etc

Hagam-Comi-
talensem.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

(10/11 maijo 1642

LUGD. BAT. BIBL.

Αινιγματῶδες ad Zulichemi Dominum,

Calciger ante fui, nunc sum Coprianus: at idem,
Si fatear culpam, calvus ero Isiacus.

Solutio.

Calcmannus fueram: nunc sum Cacmannus: at idem
Calmannus, si sit culpa fatenda mihi.

CALCMAN.
CA.CMAN.
CAL.MAN.

Calcmannus, calciger, quia credit
se ad domum Dei ædificandam calcem
cum operis alijs gestare.

Cacmannus, Græce Coprianus, quasi
ἀπὸ τῆς κοπρίας: quasi sit
Coprianus secundus.

Calmannus, calvus, quales ~~semp~~ Isiaci sacerdotes. Et hic sacra
periclitari putabat Calciger. Allusio vero ad proverbium vernaculum, Gy comter kaal af.
Tralatio ab ijs, qui prius pugnis, postea etiam certant capillis
evellendis.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

Vossij. mayo 642 2

Sub persona Auli Alsgi [?],
sive, ut haberi mavult,
Auli Pneumatici.

Aulus eram, sed nunc Aulus vocor. Accipe caussam.
Carnalis fueram: nunc ero Pneumaticus.
Tibia, carnis opus. Verum αὐλὸς tibia Graijs.
Spiritus est ἄϋλος. Spirituale placet.

In eundem ad Nobilissimum Equitem,
Constantinum, Zulichemi dominum &c.

Scripturas jactat, quas non intelligit, Aulus,
Sive Aulum malis dicere, sive Alsgum [?].
Pneumaticus factus nostris resonant ~~[illegible]~~ ista templis
Orgia, mollis ait nonnisi carnis opus.
Quid ratione pares Aulo contendere contra?
Nil, Zulicheme, salis, nil rationis habet.
Organa sic horret, solius nominis ergo
Odisse ut credant organum Aristotelis.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3841